

CORTÉS, Cristóbal María

Chrisbalto : ecloga quã pastorem suum
optimum... / D. Christophorus Maria de
Cortès. — En Pamplona : Por Antonio
Castilla..., 1786

[15] p., A2, B6 ; 4º

I. Título

VRF-37



CHRISBALTO.
E C L O G A

QUÂ PASTOREM SUUM OPTIMUM.

ILL^{M.} D. D.

FRANCISCUM
RAYMUNDUM

D E

L A R U M B E

TUTELENSEM ANTISTITEM

BUCOLICO LAUDABAT CARMINE

D. Christophorus Maria de Cortès.


Anno



1786.

En Pamplona por ANTONIO CASTILLA , Im-
presor , y Librero : con licencia de los
Superiores.

Spes fovet , & pavidum constans fiducia
votum terminat. *Vers. 77.*



CHRISBALTO ECLOGA.

TUTELENSEM PASTOREM LAUDAT
sacris gregi suo manibus doctrinae panem
impertientem.

Sylvanus, Rusticus, Chrisbalto.

SYLVANUS.

DElius aethereum jam lumine dividit axem,
Igniferâ & fervens inflammat lampade terras:
Umbrosas sylvas, & in otia tuta recedant
Imbelles agni; teneras hirtaeque capellae
Spontè imitentur oves.

RUSTICUS.

Laeto cum murmure rivus
Rupibus erumpens vallem descendit in imam:
Hoc faciles tentare vias, hoc possumus umbras
Atque auras, ducente, leves, captare serenas.

SYLVANUS.

Haud procul hinc ingens ad littora surgit Iberi
Lucus, & umbrosâ dispergitur arbore phoebus:
Fraxinus hîc habitat frondens, hîc populus alba;
Hîc cava pinus adest, fert hîc labrusca racemos
Aerias patulis innectens frondibus ulmos.

RUSTICUS.

Dulcis secessus dum flagrans ignibus aether
Gramina comburit, terraeque ardore dehiscunt,
Hîc exoptatâ gaudebunt membra quiete,
Suaviter & gratum captabunt fessa soporem:

SYLVANUS.

Rustice coge pecus, dum nos vigilante Liciscâ
Exili docilem tentamus arundine musam.

RUSTICUS.

Barbara nec nobis; gracili modulamur avenâ,
Et venit ad numeros facilis sermone Thalia.

SYLVANUS.

Incipe maenaios nobiscum Rustice versus
Dulcissimo siccum cantûque levabimus aestum.

RUSTICUS.

Incipe Sylvane alternis faciamus & ambo,
alternis gaudent, & amant alterna Camaenae.

SYLVANUS.

Rore thymum madido cœlestis spargit odorum,
Et varii fulgent flores, Aurora renascens.

RUSTICUS.

En resonis volucres pennis per florea rura
Melligerae volitant, libant & germina florum.

SYLVANUS.

Murmurat, & placido tacitos renovare susurro
Invitat somnos saliens de vertice rivus.

RUS.

RUSTICUS.

Languidus hîc poterit vigiles deponere curas,
Et vires aeger somno reparare silenti.

SYLVANUS.

Imbribus irriguos lentis descendit in hortos,
Et rutilant laeti puro cum sanguine, nubes.

RUSTICUS.

Saepe fovet tepido Phoebus calore benignus,
Ardore & lympâ surgit faecundaque vitis.

SYLVANUS.

Cornigeri sylvas implent balatibus agni,
Ubera summisso donec lactentia sugant
Poplite, maternâ & rivus dulcedine claudat
Os inhians; avidoque tenax absumat hiatû
Ardor nectarei dulcissima pocula lactis.

RUSTICUS.

Floribus insultat petulans, nec caespite molli
Artus deponit teneros, sed gramina saltû
Transilit impatiens, ventis perniciosior haedus.

SYLVANUS.

Torvus aratra fugit validâ pugnante juvenus
Incurvum cervice jugum; mugitibus implet
Terrificis sylvas, resonant vallesque boatû.

RUSTICUS.

Indomitum spectant armenta, paventque ferocem,
Cornibus obstantis validis dum cornua Taurus
Implicat; & nemoris dominus cervice sodalis
Imperium signat, pellitque infamia victum.

SYLVANUS.

Vere novo flagrans renovatur germine tellus,
Hospes hirundo levis sublimia tecta revisit,
Excitat & cantû dulcissima gaudia vitae.

RUSTICUS.

Mille sonis ludit suavis philomela sub umbrâ,
Mille potest animum modulis retinere quietum,
Nec valet innumeros argutae carmine vocis
Lingua referre modos.

SYLVANUS.

Tenerâ cum conjuge mollem
Perficit, & viridi conservat stipite nidum,
Donec in âerios, ales, dimittere tractus
Indoctam prolem tentet.

RUSTICUS.

Iam remige ventos
Et superat pennâ, & pennas superando fatigat
Aetheris insolitus pullus, vel ad aethera natus.

SYLVANUS.

Corpus inaequali tenerum dum pondere librat,
Haud valet; & pipiens lentè trepidantibus alis
In terram trahitur: tentat se tollere in altum;
Duplicat, ingeminatque pavens tentamina prima
Remigat & pedibus, lassus sed inaniter urget.

RUSTICUS.

Jam Jam praecipiti trahitur miseranda ruinâ
Progenies; rursus in cassum devia cursum
Concitat âerium, rursus sed inaniter audet:
Tunc vocitat tristis queribundo gutture matrem
Auxiliumque rogat.

SYLVANUS.

Velocibus aethera pennis
Verberat ecce parens; humeris innixus amicis
Instaurat vires pullus, placideque recumbit:
Spes fovet, & pavidum constans fiducia vorum
Terminat, atque vago rursus committere vento
Nec dubitat molem.

RUS-

RUSTICUS.

Triplici jam carmine ludam:
Carus amicus adest, ternâ quoque arundine musam
Invocet agrestem..

SYLVANUS.

Salve Chrisbalto sodalis:
Delicias ruris canimus.

CHRISBALTO.

Majora canamus.
Agrestis poterit tantum exercere Thalia
Agrestem calamum, nec nobis apta videri
Nec valet exiguo mirabile claudere versu.

RUSTICUS.

Quamnam ergo nostris adnectere versibus audes
Materiem? forsâ memorandum pandere quaeris
Historiâ carmen, quod reddat fabula gratum?

SYLVANUS.

Praelia commisit discors horrentia Mavors
Utrinque & resonat vasto victoria campo?
Urbem num tellus tacito tremefacta potentem
Igne ruit? rapido erumpens collisque fragore
Pulvere sulphureo praegnantia viscera quatit?
Num limosa palus nitidis stagnantibus undis
Auram contaminat?

RUSTICUS.

Num exhalat opaca mephitim
Abruptae rupis fovea, infestamque metallo
Adducit nobis pestem insidiosa fodina?
Quid tandem? violenta lues num carpit anhelam
Et vitiat serpens inimico flamine plagam?

CHRISBALTO.

Fabula non agitur, non, credite, praelia canto,

Nec quas exercet coelum, quas explicat iras.
Felicem refero populum, cui Pastor amicus
Pastor amans ovium, coelo concessus ab ipso
Nec vigili curae, nec duro sorte labori
parcit, ut eterno plaudeat fortuna secundum.

SYLVANUS.

Cuncta refer: non lenta placent praeludia menti.

RUSTICUS.

Incipe Chrisbalto, jam ruris carmina cedunt,
Dumque tuo noster facundo pendet ab ore
Delicias, animus, ruris, quas versibus auget,
Deserit; ardoris quamvis solatia tanti.

CHRISBALTO.

Haud procul, atque frequens vobis Urbs nobilis extat
Nominis antiquam retinens (ea fama vagatur)
Quæ laudem, debet sua fundamenta Tuballî.
Littus ad undosi vastissima surgit Iberi,
Et rapidum superat flumem pons arte paratus
Saxeus, & solidus, validos curvatus in arcus.
Sextus ab undecimo solidatur tegmine fornix,
Sextus ab undecimo laticis fluxusque patescit
Alluit atque Urbem. Sacer hanc post saecula multa
Insigni pietate viro committit Olympus,
Quem laudat doctum, quem ornat facundia gratum.
En, subit illius semper veneranda diei
Dulcis imago: Dies albo signanda lapillo,
Atque animo semper nostro repetenda secundo!
Praecurrit populus; populo indulgebat ovanti
Pastor amans; auro velat distincta superbè,
Fimbria quæ signat pendens, umbella ministrum.
Tempora pastoris circum ditissima fulget
Sublimis mitra eois instructa lapillis.

Dat

Dat digito gemmam : sacro nitet annulus auro,
 Crux rutilans gemmis sacrato in pectore solis
 Vel radios aequat, vel fulgida lumina fingit.
 Circumfusa chlamys nitido bombicina pendet
 Ex humeris auro, radians quam fibula nequit.
 Praesule, cuncta, tamen, dum gaudes, vilia credas.
 Quem sese ore ferens! dulci placidèque sereno
 Ostendens animum vultû! quam forma decora!
 Irradiat claris coelestis fulgor ocellis,
 Et tenero civis gratissimum firmat amorem
 Intuitû: Pastor tutum solatur ovile;
 Pontificemque gerens divino munere donat:
 Dumque libens animus populo recreatur ovanti,
 Sidera non adamas imitans, non murice bombyx,
 Unio non radians, non intextum allicit aurum.

SYLVANUS.

Cantabas, memini, celebratis versibus olim
 Jucundam lucem, populus, urbemque beavit
 Quae adventû laeto.

RUSTICUS.

Nec me fortuna recusat.
 Saepius ire jubat; praeclaram ascendimus Urbem:
 Sanctus adest vates, violarum veste colorem
 Induit, & similem ostendit pictura tabellam.
 Nescio quem cumulat, qualem reverentia suadet
 Plausum. Laetus amat visum, laetusque revisit
 Os roseum; lacrymis iterum desiderat ardor
 Dulcis amicitiae pergratum cernere vultum.

CHRISBALTO.

Hic tandem populi custos, & dulcis ovilis
 Solliciti summum curat tentamen amoris.
 Peryigili posset curâ, si sanguine posset

Ast demum cunctos cives servare beatos:

SYLVANUS.

Incipias : anget nostrum expectatio votum.

CHRISBALTO.

Urbem conscendo : festivo tempore pubes
Gaudebat laeto veteri de more tumultû;
Hospitibusque suis olim oblectamina multa
Praebuerat , larvâ lepidas comitante choreas.
Dissimiles vestes , formae variâque venustae
Rusticitate pares ; constanter munera cives
Munifici patulis mittentes larga fenestris ;
Impetus & praeceps confuso turbine dona
Arripiens ; suavique globos dulcedine gratos
Conglomerans , pulchrae nuptae , innupraeque puellae,
Quas tenet ornatas pretioso pergula cultû,
Undique laetitiam demum exundantia cuncta
Sollicitam gratè mentem , memoremque trahebant.
Urgebat celerem fugitiva occasio cursum,
Tali ne forsàn grato oblectaminè possem
Orbari , civis quocum oblectamina quaeque
Contemnit. Densas credebam cernere Turbas,
Saltantesque choros , confuso dum agmine raptim
Compita transiliunt : ducit sua quemque voluptas.
Sic , ubi Tirsigeri celebrantur festa Liaei,
Sithoniae Divi portant insignia Matres,
Et juga diffussis errant saxosa capillis.
Idem praecipitat Larvas , furor excitat idem
Et Bachas , quamvis eadem non semper origo :
Par quatit errantes praeceps agitatio turbas,
Larva tamen funesta minus , quam concita divo
Insana Ogygio , & peragens Trieterica Mater :

Utraque

Utraque Vulcaniâ, Bacho quoque, praeside divâ
 Orgia condelebrat; verum festiva pudorem
 Larvarum turba externum jam pectore servat.
 Haec certis firmat numeris, atque ordine cingit
 Saltantes, fidibusque modum dat docta canoris.
 Haec pictas variat vestes; Haec instruit arte:
 Haec, inconsultam demens audacia pubem
 Dum rapit, & Themidis fascēs, & concitat iras;
 Astus mendaci ne forsā fallat in ore.
 Ingenuam certè faciem verecundia fraenat;
 Si tamen oscillo facies absconditur atro
 Sola Themis poterit tantum irreparabile damnum
 Arcere. At nostrum Thyasum feliciter arcet
 Et Themis, & nulla egregiū concordia sexûs.

SYLVANUS.

Nec latuit (memini) quod bachanalia ludant,
 Quod larvas fingant, quod forment arte Chœreas,
 Omnia nos summus spectandique ardor habebat,
 Urbis sed tali non tempestate licebat.
 Perfaciles tentare vias: nos claudit ovile.

RUSTICUS.

Nos semel, at celeri depascimur omnia saltū,
 Torpor, inersque tamen cruciat confusio mentem.
 Sed tandem memora: Quidnam postrema movere
 Festa valet?

CHRISBALTO.

Festis oh quam disparia visis!
 Fallaci raptus curâ, velut inquitimus, Eheu!
 Urbem conscendo. Densissima turba modestè
 Demissis oculis ambit venerabile templum.
 Gressus, & ingenuus vultus, vestisque silentium
 Omnia Larvarum horrendo conlata sussurro,

Oscillo & vario , fecit quod sordida vestis
Invisum , extremis eheu quam dissona distant !
Ut novitas arcet , causas inquirere conor,
hocque citò nobis responsum verba dedêre.
Noscite Pastorem venerandum ; noscite Patrem
Vel populo carum , vel dignum laudis honore.
Orgia quae nobis veteri de more fuêre,
Tranquillâ tantum sacro pietate reguntur
Praeside. Nunc etenim tali sperare valemus
Ductore aeternam , summo aspirante , salutem
Numine. Tranquillo tantummodo gaudia laeta
Mollitur cordi pax ; bachanalia turbant.
Sed si tantus amor sortem cognoscere nostram :
Me duce carpe viam : ipsummet proponere conor
Exemplar : jugis , nullum renuensque laborem,
Sollicitus poterit melius convincere Pastor.
Sic ait ; & solito properavit tramite gressum.
Obstupui : lentus rapior : nec mente serenâ.
Haud aliter radios libans nubecula solis
Aethere sublimis rapitur , dum suaviter igne
Spargitur aestivo , manet & penetrabilis astro.
Tendimus in fanum : nos alta silentia terrent :
Majestate tenet fani reverentia cunctos :
Arcere & vehemens , animos captare disertus,
Sanctam perspicuus legemque docere parabat.
Numinis Orator celsâ supremus in aulâ.
Tuque sub umbellâ cocco splendente recumbens
Pastor ades : lenis clementia fulget in ore.
Compositusque pudor : flectit praesentia cunctos
Assidua : exemplo vertit tantoque procacis
Imperium juvenis : placet alta modestia vultus.

SYL

SYLVANUS.

Auribus arripio arrectis : antiqua rûere
Fundamenta mali.

RUSTICUS.

O lux ! quam dispar ab illâ
Densas quâ turbas , coetus placidosque notavi !

CHRISBALTO.

Haud mora , namque aures nondum clausêre securae
Maxima. Facundae praestans vehementia crescit
Gradatim linguae. Jam summo ex vertice fervet
Orator ; vastum resonabat & undique templum :
Jam linguae poterant clarum celebrare triumphum
Singultus populi , & tacito cum murmure luctus.
At propriis prudens nequaquam fissus in armis
Te vocat , auxiliumque rogat , te flebilis urget
Terque quaterque pium , Pastor , te denique cogit
Ut , quam concedit , cathedram conscendere sacram
Dignêris , propriumque opibus pascaris ovile.
Ipse tuis. Faciles est mollis flamma medullas,
Corque pio tenerè propendens palpitat igne ;
Nec potis est animo ardorem compescere tantum ;
Protinus umbellam jucundus deseris ipse,
Surgis , & augustum tentas penetrare sacellum,
Sacraque , facundè dicturus , scandere rostra.
Sed subitum plebis murmur , trepidusque tumultus
Cunctorum longo coelestibus obstitit ausis.
Tempore : Pastoris vocem suspiria claudunt :
Dum populique tenax animos angebat auhelos
plangor , & immodicos laxabat pectore luctus
(hos tamen effusi gignit reverentia Cordis
Exhilarans dulci plausû atque inopina voluptas)
Dicere nec Pastor , nec vox penetrare valebat :

Humens

Humentes tantum lachrymae labuntur utrinque
Perque genas mollis roseas tacitè effluit imber.
Nec lachrymis, fateor, carui, labuntur abortae
Spontè gemis; horror nostros sacer occupat artus.
Primaevus potui ex sacris Pastoribus ullum
Spiritus Omnipotens summo delapsus Olympto
Igniferae aeternâ linguae quos luce beavit,
Credere dicturum supremo ex vertice turbis.
Conturbor pariter, cunctorum & sorte retentus
Obstupui; vocem involvens rumore patentem.
Quis tamen illius poterit memorare diei
Scenam? certè oculis tantum benè panditur ipsis.

SYLVANUS.

Vultû commotus trepidas.

RUSTICUS.

Dum concitus ardes
Experti mentem quisnam affectare valebit
Motus? Sed memora tandem: urget blanda cupido.

CHRISBALTO.

Frangitur at demum strepitûs confusio primi
Et reboat templum dulci tantummodo voce.
Inflammat rursus sermonis gratia cunctos,
Ac veluti Hybleam ferventi liquescere Phœbo
Cernimus, & fluida jactari in imagine, ceram;
Haud secus ardenti Pastor sermone resolvit
Mollia cunctorum corda, & gratum excitat ignem.
Quærebat crebro lassum aspiramine pectus
Auxilium: modicam populus compescit at auram:
Cœlestem surdo monitum ne murmure frangat.
Auribus et fugiat sermonis syllaba tanti.
Sed postquam tetigit fervens oratio metam,
Imposuit verbisque modum, tunc cuncta ruère

Cet-

Certatim : lachrymae , clamor , laetusque tumultus,
Et reboans plausû sonitus confusus ovantum.
Non aliter , tumidum dum flumen saxa morantur,
Impatiens glomerat lymphas , obstacula quæque
Perrumpens fremitu ; & vastans impete campos
Vorticibusque rotat rapidis , fluctûque soluto.
Multiplici interea ingenti sed concitus ictû
Affectûs rapior : mentem cœlestis imago
Nuncque tenet laetam ; nec toto clauditur aptè
Pectore festiva , & tenero diffunditur ore.
Laetitiâ exultate pares ; exuberat ingens
Ut placidè caros necnon affectet amicos:
Felix si tantum possem inspirare levamen!

SYLVANUS.

Inspiras equidem : grates persolvere dignas
Fas erit ; & nostro laeté tua carmina plausû
Tollere.

RUSTICUS.

Jamque agitat praesens & imagine Pastor
Mentem : jam placido jucundum pondere pressit.
O utinam possem ! . . . Sed opacas duplicat umbras.
Decedens Phoebus , medio nec fervet Olympo:
Pascere oportet oves.

SYLVANUS.

Viridantia gramina pascant :
Nocteque jucundus renovetur sermo quietâ.